

TERRITORIUM
VERONENSE,

vulgo

ILVERONESE.

Limites.



Erritorium Veronense habens ab ortu Vicentinos, à meridie Mantuanos, ab occidente Brixienfes, & à septentrione Tridentinos, patet in longitudinem, ut ait exactissimus

Magnitudo.

urbis descriptor Torrellus Sarayna, à finibus Turbularum agri Tridenti, ad Policinium Ferrariensem agrum miliaria circiter octoginta: in latitudinem autem ab agri Vicentini finibus transeundo per urbem usque ad Brixianum agrum, atque ubi majori distantia, per circiter XL mille passus, licet alibi quoque major latitudo comprehendi possit. Ager felicissimus est frumento, vino, oleo, omnique frugum genere, lanis, serico, atque alijs ad humanæ vitæ usum pertinentibus nulli cedit, quem flumen Athesis omnium amœnissimus interfluendo decorat; decantatissimus Benacus carpionibus, lautissimisque alijs piscibus cunctis gratissimis undique peregrinos ad se invitat & allicit. plurimi etiam rivi, fluviorum instar agrum ipsum irrigantes, adeo reddunt fertilem, ut alienigenis, nedum habitantibus facile suppetat. Marmora præterea, non solum alba, verum & nigra, & rubea, & diversis coloribus maculata, insigniaque eruuntur ubique: quorum durissima quædam, alia mediocria, quædam mollia, nec ab Verona multum distantia, modica in urbem vehuntur impensa.

Peschiera.

Et in Benaci lacus sine, versus meridiem, qua Mincius amnis ex eodem lacu exit, oppidum vulgari vocabulo *Peschiera* dictum, egregio munimine à Venetis ibidem exstructo maxime clarum. Fuit hic olim collegium naviculariorum, ut ex antiquo lapide constat, & oppidum *Ardelica* dictum.

Sirmio.

Sexto à *Peschiera* lapide in occidentem æstivum versus peninsula est in ima lacus parte, cui una cum castello in ea sito, vulgare nunc vocabulum est *Sermione*, *Sirmio* dicitur Catullo, qui eam eleganti hoc carmine descripsit:

*Peninsularum Sirmio insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
Italia.*

*Marique vasto fert uterque Neptunus;
Quam te libenter, quamque latus te invito:
Vix mihi ipsi credens, Thyniam atque Bethynos
Liquisse, & videre te in tuto.
O quid solutis beatius est curis!
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi, venimus larem ad nostrum,
Desideratoque adque scimus lecto:
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio; atque hero gaude.
Gaudete vosque ludia lacus undæ.
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.*

Quod peninsularum simul insularumque vocat *ocellum*; eo forte respexit, ut inquit Cluverius, quod plurimum peninsula in formam depressa cervice continenti terræ adnexa conspiciatur; ubi vero septentrionales venti incubuerunt, lacusque commotus est, contacta fluctibus cervice, insulæ speciem præbeat.

Cæterum Benacus lacus ipse Virgilio, Plinio, Servio, Probo, Claudiano, Vibio, Isidoro, Catullo, Straboni, Sotioni, Ptolemæo, aliisque innumeris memoratur. Est lacus, qui magnitudine sui tempestates imitatur marinas; unde Virgilius lib. II Georg.

*An mare, quod supra, memorem, quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu adsurgens Benace marino?*

Longitudo ejus est 35 miliarium, latitudo vero 12. Quantæ autem celebritatis olim fuerit hic lacus, apparet ex innumeris, quæ passim in oppidis vicisque ei adpositis reperiuntur, antiquitarum monumentis.

Mediam, uti dictum, perlabitur regionem *Athesis*. *Athesis* ingens flumen, & post Padum totius Italiæ maximum, Italis hodie *Adice* & *Adige*, adcolis *Adese*, Germanis *Etsch* vocatur. Tradit Plinius *Athesim* ex Tridentinis Alpibus profluere. Initio perquam exilis, lapsu magnam vim aquarum colligit, accedentibus passim multis amnibus; subter Bolzanum ad meridiem versus rapido se cursu flectit: dein ab Tridento lenius nonnihil per planiciem evolvitur: at mox iterum emensis campis inter montium angustias tanta cum violentia sævit, ut omnibus, qua fluit, locis, infeste minari videatur. mediam Veronam interfecat,

H h interfecat,